



**Modus solennis et autenticus, ad inquirendum & inveniendum
& convincendum Luteranos, valde necessarius, ad salutem
sanctae Apostolicae sedis & omnium ecclesiasticorum, anno
1519 compositus, in Martini Luteri perditionem & ejus
sequacium**

<https://hdl.handle.net/1874/8948>

ga

2

MODVS SOLENNIS

ET AVTENTICVS, AD INQUI-
rendum & inueniendum & conuincendum Lutera-
nos, ualde necessarius, ad salutem sanctæ Apostolice
sedis, & omnium Ecclesiasticorum, anno 1519 com-
positus, in Martini Luteri perditionem, & eius sequa-
cium, per uenerabilem Monachum magistrū S Y L
VE STRVM PRIERATEM, ex sacro
sancto ordine Prædicatorum, Magistrum sacri
Palatij, & generalem hæreticæ prau-
tatis inquisitorem.

Anno 1553 reuifus, & satis bene emendatus ab
erroribus, per Reuerendissimos Cardinales ad
officium sanctissimæ inquisitionis depu-
ratos, per s. d. n. Papam
Iulium iij.

ROMAE, PER IORDANVM
typographum Pontificium.

Anno 1553.

REVERENDIS IN
CHRISTO PATRIBVS SACRI
ordinis Prædicatorum, & sacræ Theologiæ professo-
ribus, & per Italiam, Galliam, Hispaniam, & omnes san-
ctæ Rom. ecclesiæ partes hæreticæ prauitatis inquisi-
toribus, patribus suis multum metuendis: Frater Syl-
vester Prierias, sacræ Theologiæ docttor, & sacri Apo-
stolici palatij magister, & sacri ordinis Prædicatorū
professor, & hæreticæ prauitatis generalis &
acerrimus inquisitor, Salutem.

Quoniam nūc nostro tēpore, quo refrigescit chæ-
ritas multorū, Reuerēdi patres, & abundat
iniquitas multa, pullulant hæreticæ prauitatis semina-
ria: ita ut uix fides sanctæ Romanæ ecclesiæ inuenia-
tur in terra. Quæ licet eximiæ uestræ paternitates
magno fauore satagunt & zelant extirpare, ne Zi-
zania cum tritico simul crescat: tamen mundus est i-
ta malus, quod uos in sancto opere isto contemnunt,
atq; quasi irrident: & dicunt, Inquisitores hæreticæ
prauitatis nec scientiam, nec modum inquirendi co-
gnoscere: quod est abominabile audiri. ideo ego ac-
census zelo ueritatis, coactus sum scribere artem &
modum inquirendi. Non quod uolo uos docere, cum
sciatis omnia melius quam ego: sed ut uideant illi in-
docti asini, quam multa possint magistri nostri, præ-
sertim nos de sacro ordine Prædicatorum, qui sumus
luminaria magna in S. R. E. Ideo ego humilis & mi-
nimus inter sacræ Theologiæ professores, cum hanc
artem inquirendi bene didicerim, quia scio mentem

sanctissimi & beatissimi nostri Papæ: uolui etiam illam describere uobis. quia secundum Aristotelem nostri S. Thomæ magistrum, signum scientis est posse docere: propterea hanc artem à me compilatam uobis offero, & rogo ut illam in omnem terram per impressuram mittatis, ut propter ipsam confundantur omnes aduersarij nostri hæretici, uidentes contra quos debeant pugnare, & ut nos possimus canere cū toto corde: Venite exultemus, Domino iubilemus. Bene ualete optimi Patres, & me commendatum habeatis.

INCIPIT TRACTATUS solemnis.

Quoniam omne multiplex indistinctum necessaria parit confusionem, & erroris mater est æquio-
catio semper. Idcirco ut istam artem distinctius, &
subtilius, & facilius possim enucleare, uolo ipsam per
regulas quasdam determinare, faciles & faciliter me-
morabiles, propter uitandum studendi laborem.

PRIMA REGULA.

Ante omnia inuocandus est spiritus sanctus,
& orandum deuotè pro gratia Dei, ut actus
ille inquirendi incipiatur, perficiatur, & perficiatur (se-
cundum quod scribitur in Collectis quotidianis) nō
ex uana gloria, nec propter uanam gloriam, nec pro-
pter pecuniam: sed ex amore Dei, & zelo uerita-
tis, propter gloriam Dei, maximè autem propter ho-

nore sanctæ sedis Apostolicæ, quæ nos omnes tantū exaltavit, & pacē ecclesiæ catholicæ, ad supprimendos errores, & ad sedanda scandala, & turbationes fidelium Christi cauendas.

S E C V N D A R E G V L A.

Ista intentione bona formata, quam impossibile est non placere Deo, cum sit sanctissima & syncretissima, & ex gratia de condigno meritoria æternæ uitæ, oportet firmiter credere, & tanquam certissimum, ac primum huius artis principium presupponere, de quo nullatenus liceat dubitare: Quod Papam errare est impossibile, sed quicquid cogitauerit, dixerit, uoluerit, fecerit, hoc tanquam uocem & factum Petri, seu potius ipsius Christi met oportet acceptare. Quod si quis uellet in hoc dubitare, aut rationem quærere: ille iam de facto non Inquisitor esset, sed inquirendus, tanquam certissimè hæreticus: quia dubitare, & non credere, pro eodem accipiuntur, secundum Aristotelem secundo Physicorum. Et quia sicut ianua in cardine uoluitur, ita tota ista ars in hac secunda regula iacet, sicut rusticus in sole. Ideo necessarium & bonum puto (licet extraordinariè) ipsam inoppugnabiliter fortificare. Et primò sic: Ni si esset uera & certa ista regula, nullus posset inquiri, aut iudicari, aut condemnari in sancta Romana eccllesia: quod est absurdissimum. Consequentia nota. Sed antecedens probatur diabus rationibus iniicitur.

sumis. Primo, quia Papa est lex animata & uia in
terris (nam in hoc bene licet conformari Principem
ecclesiæ huic seculo, in quo princeps est Imperator
lex uia: nec obstat quod Imperator in temporalibus, et
Papa in spiritualibus præest, quia sunt in uicem figura
& figuratum) sed ablata lege, iam nihil certū pos-
set secundū eam iudicari, aut fieri: ideo oportet esse
certissimum, Papam non errare. Secunda ratio est,
quia hæretici solent se per sacram scripturam defen-
dere: sed illa est lex mortua, & litera occidēs, &
potest in multas falsas sententiās trahi. Sicut patet in
multis magistris nostris, præsertim Thoma Caeta-
no, quem tamen tanquam hæreticum non cōdemna-
uimus, ne ordini nostro infamiam daremus: & sic
hæreticus, propter lubricitatem suā, fieret anguilla.
Cōfirmatur ista ratio: quia hinc Iuristæ recte dicūt,
quod Papa sit ecclesia. iuxta illud Matthæi 18. Si te
nō audierit, dic ecclesiæ: id est, Prælato. Si ecclesiæ,
id est, Prælatū nō audierit, sit tibi sicut ethnicus et pu-
blicanus. Vnde patet, quod Papa est prælatus præla-
torum, in secula seculorum: & per consequens, ecclæ
sia Romana est ecclesia eccliarum. Tenet cōsequē-
tia ab eodem ad idem, per definitionem uniuocorū.

Secundò probatur ista regula irrefragabiliter.
Quod si Papa posset errare, tūc etiā ecclesia posset
errare, cū sit primū & summū ecclesiæ membrū. Si
autem ecclesia posset errare, tūc etiā Christus posset er-
rare,

rare, cū sit una caro & unū corpus cū ecclesia. Iuxta
 Paulū: Erūt duo in carne una. Si aut̄ Christus posset
 errare, etiā Deus posset errare: quod est impossibile,
 cū Christus sit Deus. Et sic à primo ad ultimū, Papa
 nō potest errare. Sed hic sunt aliqua argumenta
 uidēda. Primò dicūt, quod ecclesia nō possit signi-
 ficare Prælatū, ex natura uocabuli. Quia ecclesia
 Græca dictio est, & significat idē quod cōuocatio et
 cōgregatio: sed Prælatus nō est cōgregatio. Respon-
 detur: Hoc est unū grammaticū argumentū, & mul-
 tū suspectū, et hoc duob. modis. Primò, quia ex græ-
 ca grāmatīca arguit: sed Græci sunt hæretici et schis-
 matici, ideo nō est eis credendū in sua grāmatīca. Se-
 cundò, quod uidetur synagogā ex ecclesia facere. nā
 synagogā dicunt etiā significare cōuentū & congre-
 gationē. Ergo probabile est, quod ecclesia nō congre-
 gationem, sicut synagoga, sed Prælatum significet.
 Dicunt aut̄, quod in nullo passu noui Testamēti ecclē-
 sia pro Prælato potest accipi: ut, Credo ecclesiā san-
 ctam catholicam. itē illud: Super hāc petrā aedificabo
 ecclēsiā meā. Respondetur: Non credo synagogā esse
 Græcū nomē: quia synagoga fuit tantū apud Hebræ-
 os, & nō apud Græcos: ideo Hebraicū potius nomē
 est. Nec nocet, quod ecclesia aliquādo accipitur pro
 Prælato, aliquādo pro populo, cuius est Prælatus: &
 secundū hoc oportet scripturas distinctè intelligere,
 & magistraliter.

Secundò arguitur: Quomodo Papa nō potest errare, cum tamen sanctus Petrus errarit? ut in Euangeliō, quando Dominus eum Satanā uocauit. Respondetur. Hoc est una frasca, & Brocardicū argumentum. Nam tunc temporis nondum acceperat spiritū sanctum, licet fuisset in gratia: quia potest aliquis bene esse in gratia, non habendo spiritū sanctū. ut alias habet uideri per Magistros nostros.

Si autem replicatur, tamen Paulus reprehendit eum post spiritus sancti missionem, Gal. 2. Respondetur. Hoc fuit ueniale peccatum, & quædam simulatio ac dispensatio pīe fraudis.

Si iterum dicant: Non uidetur sanctus Paulus proueniali peccato, & tam leui re, tanū festum fecisse, nisi fuisset periculū animarum ibi. nam ipse dicit, Euangelij ueritatem ibi fuisse omīsam: hoc autem est Christum negare, & infidelitate peccare. Respondetur. Sancti primitiæ ecclesiæ fuerunt feruentes, ideo parua peccata tanquā maxima reprehendebāt. Et quod nos hodie hæreticos cōburimus et occidimus, ipsi homicidium reputassent, si excessiū locuti fuissent: cum tamen nostro tempore (si recta sit intentio) non solum sine peccato sit, sed etiam cum magno merito fiat. nā sic facientes, obedientes sumus S. Paulo, qui iubet nobis ut tollamus malū de medio nostri, & ut hæreticos deuitemus: id est, de uita priuemus, secundum interpretationem sanctissimi D.N. Papæ.

Sic

Sic reddere debitum matrimonij, nō sine peccato fieri illi dixissent, excessiuē loquentes, cum Psal. quin
quagesimo: Ecce enim in iniquitatib. conceptus sum,
Et in peccatis concepit me mater mea. Sed nostro tē
pore cum merito fieri potest, Et est opus iustitiae.

Tertiò arguitur: Cur ergo sancti Patres suo tēpo
re hæreticos per scripturas et uerbum Dei expugna
uerunt, et exemplum nobis sic faciendi reliquerunt?
Respondetur: Hic est alia ratio temporis. nam tunc
ecclesia nondum fuit firmata, nec fides satis robora
ta; ideo neceſſe fuit per scripturas cum eis pugnare.
nunc autem oportet de firma fide eos examinare. Ideo
multo facilior est modus inquirendi nūc, quam tūc fuit:
quia illorū modus describi, et in arte redigi nō potuit,
nisi totā scripturā aliquis intellexisset. Sed hodie pe
riculosum est cū hæreticis in Biblia pugnare, quia fe
cerūt Bibliam suspectā, ita quod à multis uocatur li
ber hæreticorū. ideo alijs libris et modis agendū est.

TERTIA REGULA.

Necesse est summe, ut Inquisitor ipse quoq; certus
sit, se non posse errare in hoc actu. Nec debet inqui
rere, quod uelit aliquid discere uel audire, sed tantum
docere et audiri: alioquin non esset Inquisitor, sed di
scipulus hæreticorum, nec certus esset se errare non
posse. ideo oportet præconcipere conclusionem, quā
intendit. Potest autem certus fieri ex tribus. Primo,
ex intentione formata iuxta regulam primam: secū
do,

dō, ex mente Papæ inerrabili, à qua suscepit officiū
 & causam inquisitionis, iuxta regulā secūdam. Ter-
 tiō, ex doctrina S. Thomæ, quæ sola est igne spiritus
 sancti examinata & purgata, & summi philosopho-
 rum principis Aristotelis sententijs decorata. Nā im-
 possibile est, quod intentio illa erret, multo minus pos-
 sibile, quod doctrinam S. Thomæ erret, in qua si nō
 esset bene fundatus Inquisitor, non esset dignus offi-
 cio isto pulcherrimo, & titulo gloriosissimo. Quia si
 solam Bibliā sciret, citò hæreticus eum posset illude-
 re per multiplicationē expositionis. Ideo certā oportet,
 & quæ est sine quæstionibus, sine opinionibus, si-
 ne distinctionibus multiplicatis, habere Theologiā.
 Hæc est doctrina S. Thomæ, mēs Papæ, et bona in-
 tentio inquisitoris.

Q V A R T A.

Quando pro tribunali sedet, tunc debet protesta-
 ri, quod solum Deum ante oculos habeat: sic tamē, ut
 aliquis spissus paries, uel murus ferreus inter oculos
 & Deum sit, ne offendantur oculi eius, iuxta illud:
 Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.
 ut sic possit anima sponsi dicere: Ecce ipse stat post
 parietem. Hunc autem parietem intelligo, firmam &
 piam intentionem in corde inquisitoris, quæ est, ut
 sit sollicitus, pro confusione ordinis tollēda, & illius
 gloria exaltanda: & non intendat ab actu desistere,
 donec hæreticus confusibiliter sit cōbusitus, ut sic in

Domino

11

Domino gloriari posſit, quod ecclesiam defenderit.

Q V I N T A R E G U L A .

Sit itaq; armatus armatura Dei, inuadat diaboli-
cos homines, cum Psalmo dicens: Tabescere me fecit
zelus meus. & iterum: Perfecto odio oderam illos.
& iterū: Super aspidem & basiliscum ambulabis. Et
nil noceret, si uocem aliqualiter exasperaret, sicut fo-
lent inuidi facere: aut melius pro cauendo speciem in-
uidiae, caput cum riu amariuscō (uelut canes dentes
nudando) fiducialiter moneret, ut sic diabolus terre-
retur, & hæreticus ipse primo aspectu perditum se
esse putaret. Nam oportet inquisitorem, secundum
Apostolum, in omni patiētia et modestia omnia ex-
periri, si possit animā lucrari Deo. Post hoc, prola-
tis digitis denumeret sibi de digito in digitum, articu-
los, quos hæreticus iuxta mentem Papæ debet acce-
ptare, simul aliquid terribile insonans de igne, & di-
cat: Credis hos, uel non? si credis, omnia tua reuoca
bis: si non, comburēris. Et in fine horū uerborum de-
bet os torquere, & faciem ad circumstātes uertere,
& labia porrigerē, & manū utranq; ſparſis digitis
iactare. Non obliuiscatur etiā naſum rugare, & om-
nino ſe diſponere in facie, ſicut eſſet terribilis larua
in carnifruio, in confuſionem hæretici, ut circum-
ſtanties dicere poſſint: O' quam male ſtat iſte hæ-
reticus, & quam ſolenniter & legaliter ſe expedit
iſte inquisitor. Si autem hæreticus uoluerit reſponde-
re, &

re, & allegare sacram scripturam, uel doctorem sanctum. pro hoc tene hanc regulam subtilem, immediatè sequentem.

SEXTA REGULA.

Tunc dicendum est ei, cum leui quodam cachinno: Ah dilecte Domine, non hic tempus est litigandi & disputandi, sed simpliciter respondendi, an credas in sanctâ Ecclesiam catholicam? Dimitte doctores doctores esse, ecclesiam audire necesse est; illi posunt errare, Ecclesia non potest errare, ut supra ostensum est. Et sic fortiter est molestandus per regulam secundam, & semper aliquis risus fiducialis intermissionendus: & facies uertenda ad circumstantes, ut ipsi corrideat Inquisitori, & irrideant haereticum, sicut Herodis familia Christum: sic tamè, ut non fiat inde cens cachinnus, sed secundum Paulum, modestia eius nota sit omnibus hominibus. Nam oportet hanc rem, cum maturitate multa, cum grauitate summa, et suauitate in spiritu sancto tractare. Nec leuiter debet ridere Inquisitor, nisi dum haereticus scripturam sanctam allegat. nam tunc oportet haeretici intelligentiam magis ridendo desplicere, quam respondendo soluere: ne forte trahatur Inquisitor in expositionem sacrae scripture, ex qua non possit ridere sine confusione, propter astutiam haereticæ prauitatis, quæ ualde prompta est in Biblia. si autem cooperit haereticus alte clamare, & Doctores cum scripturis iactare resese

re, sepe paratum rationem reddere suæ sententiæ, perte doceri, & solui suas rationes & auctoritates: Tunc oportet cum maxima diligentia uidere, ne circumstantes ista diutius audiant, ne ad misericordiam moueantur, & hæreticū habere iustam causam credant. Quare hic ne tumultus fiat in populo, summè necessaria est una bona Cautela, quæ traditur hac regula.

SEPTIMA REGULA.

Videlicet ut multo magis clametur, ac tumultus aliquis uel pedū strepitus excitetur: sicut Iudæi fecerūt, quando S. Stephanū uoluerūt opprimere, ne auidetur. Nam etiam furor pro ecclesia Dei meritorius est, maximè si ex prædicta intentione procedat. simul quoque, iuxta Aristotelem in Elenchis, multis quæstionibus exagitetur & perturbetur: ut in diversa distractus, & in diuersos intentus, aliquid dicat, quo capiatur. nam & Iudæi hac fraude tentabant Christum, ut caperent eum in sermone. & sic oportet diabolum suis aliquando artibus fallere, ut canitur in Hymno: Ars ut artē falleret. Nec est necesse semper in digito Dei ejcere dæmonia, sed malum male pellere, per dispensatiuam Euangeliū interpretationē: quia Inquisitor debet sperare, quod hæreticus comburetur, nec cum confusione cesseret ab officio.

Bonū quoq; esset, si ista non iuuarent, quod mandaret silentiū sub pena excōmunicationis, ut sic cū bona

bona modestia Inquisitor possit omnibus audientibus dicere, & se resoluere, Quod non intendat, nisi salutem miseri haeretici: & bene esset contentus, quod suos Doctores allegaret, si primò responderet, an in ecclesiam crederet: siue per fenestram, siue per ianam crederet, modo in ecclesiam crederet. **Quia** quid prosunt Doctores, qui sunt pars ecclesiæ, si in totam ecclesiam nō credat (quæ est mens Papæ, & intentio nostrorū magistrorum) ut sic populus notet, illū ueræ esse haereticū, quia ecclesiā non uult audire: & Inquisitores esse iustos in suo proposito, quia honorē ecclesiæ & fidei sinceritatē tā legaliter et zeloſe quærāt.

OCTAVA REGVLA.

Solicitissimè prouidendū est, ut Inquisitores sint de ordine sanctissimo Prædicatorū: quia illi habent magnam gratiā apud populū, & antiquā famā, quod sint docti & zelosi pro ecclesia sancta, & Apostolica sede. ideo facilius possunt suspicione populo facere cōtra haereticū, quam alij qcūq;: quoniā ipsi multas et magnas pertulerūt propter zelū & scientiā suā cōfusioes: ideo fidelius & diligenter laborāt, ut alij magis cōfundātur, ut ipsi hoc modo suā ignominia alienaē ignominiā cōsortio solētur. iuxta illud: Gaudiū est misericordis socios habere pœnarū. et illud Petri: Scitote easdem passioes et fraternitati uestræ, q; in mūdo est, fieri.

NONA.

Solicitandū est omnib; modis, ut ante initū et post actū istū mittatur diuersi fratres, discreti in diuersas partes,

partes, maximè ad principes et seniores plebis, quia sine
 detractionib. & mēdacijs) persuadeant, hūc hære-
 ticū nolle audire ecclesiā catholicā: & hanc culpā di-
 latēt, magnificēt, & multiplicent, ac pertinaciā hære-
 tici summis studijs accusent, et detestētur: etiā spuant
 in terram, cum magno furore, tanquā si essent insani,
 quia sunt stulti propter Christū: et mirētur, quod ista
 scandala permittātur in ecclesia regnare, in blasphem-
 ia diuinæ maiestatis, et in diminutionē potestatis ec-
 clesiæ & fidei catholicæ, ac iniuriam sacræ Theolo-
 giae, præsertim doctrinæ sancti Thomæ, & opinionis
 suarū. Iurēt etiā, ac manib. & pedibus loquātur, sicut
 sapiētes solēt, Ecclesiast. 3. ut sic Principes prouocent
 ad indignationē. Pro inquisitorib. uero dicāt, quomo-
 do omnia legaliter & zeloſe faciāt, quāta modestia
 et charitate hæreticū orēt, fleāt, agāt, omniaque tētēt,
 sed frustra. Expediret etiā multū, si in prædicationib.
 in ecclesijs hinc inde populus ſimiliter irritaretur, &
 magnis miserationib. ſuper hæreticū, et pro sancta ec-
 clesia et fauore inquisitorū cōcitaretur: ne poſtea mur-
 mur in populo relinqueretur, ſicut ſæpius factū eſt,
 nō fuiffe hæreticū, ſed iniuriā ei factā. Nā quia iſta regu-
 la neglecta fuit, uſque hodie, multi aperte dicūt et ſcribūt
 Io. Huſs et Hier. de Praga fuiffe nec cōuictos nec iuſte
 cōbuſtos. Et probat tali argumēto, ut nup̄ à quodā hæ-
 retico audiui in Boemia, quia poſtque illi ſunt cōbuſti, ignis
 uelut ultor iniuriæ, diſponente Deo, in nemine atro-
 cius

cius sœvit, quam in ordinem Prædicatorum. Ex ipso enim fuerunt illi Inquisitores, qui eos combusserunt. Et allegavit illud Sapientiae: Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. Nec est uerisimile, eos fuisse hæreticos, propterea quod cōbusti fuerint: quia S. Laurentius, et plures alij, propter Christi cōfessionem, sicut et isti duo, perpeſi idem fuerunt: uerum stulta dicunt, quia nō intelligūt, quod illis facta est iustitia, eo quod noluerunt audire ecclesiam.

Nostris autem fratribus facta est iniuria, quia uoluerunt audire, et audierūt ecclesiam, ut superius accepta est: et non fuerunt admissi, ideo in cælo sine dubio coruscant inclito martyrio. Et combustores eorum, quia contra ecclesiam egerunt, ardebūt in inferno. De quo latius unum librum dabo, quo obſtruamus iniqua loquentium, quem pro honore sanctæ ecclesiæ, et zelo fidei iam compilo.

D E C I M A R E G U L A.

Est singularis et specialis, quam adhuc nullus tedit, qui de hac arte scripsit, quantum ego legere potui: sed ego multo labore et experientia inueni. Et est multum subtilis, scilicet ista: quod quia nūc multi surgunt, qui antiquiores Doctores legūt, et S. Thomam contemnunt: et inuenire se dicunt, quod nos uocabulum Ecclesiæ sanctæ, nostris opinionibus et affectibus non aliter præteximus, quam olim Pseudoprophetae, nomen Domini suis mendacijs prætextentur.

xuerunt, multosq; prophetarum occiderunt, ac popu-
lum seduxerunt. sic & nos sub nomine Ecclesiae di-
cunt, nostra mendacia querere, & non hæreticorū
exustores, sed sanctorum Dei persecutores criminan-
tur, nihil de Ecclesia sancta nisi titulum nos habere,
& speciem, ut Apostolus ait, pietatis, uirtutem eius
abnegantes. Nec hoc satis. Dicunt nos uerè esse ma-
gistros hæreticorum, quia hæretici sumus, & hæreti-
cos faciamus. etiam uerè Inquisitores hæreticæ pra-
uitatis, quia inquiramus & inueniamus eam: simul
Inquisitores & inuentores hæreſeon, pro inquisito-
ribus ueritatis nos culpantes. Et heu, insanissimi ho-
mines, hanc sententiam quasi cunctis principibus &
laicis (quia incipiunt ualde docti fieri) persuaserunt,
ut nos pro seductorib. populi, homicidis fidelū Chri-
sti paſſim iactitēt, & planè pro Antichristi aposto-
lis habeant. Et dicunt, se hoc colligere ex eo funda-
mento, quod non sacram scripturam, nec sanctos pa-
tres, sed Aristotelem & opiniones nostras solum do-
ceamus, quibus Antichristus utitur, ut putant. O se-
cula, ô mores, bone Deus, quid hic dicam: etiam in
sanctam Romanam ecclesiam blasphemari sunt, quæ
Aristotelis studium, & S. Thomam in suis opinioni-
bus approbauit, & multum commendauit, ut nota
sunt Urbani pape uerba.

Idcirco in ista arte non similis punctus est, sicut
iste: quare pro exequenda decima regula, mittendi
b sunt

sunt doctissimi & prudentissimi fratres, qui sciant persuadere hominibus, quod Inquisitores non solum nomen ecclesiæ, sed ueræ ecclesiæ rem ipsam quaerant: & non esse Inquisitores hæreticæ prauitatis, ut eam inueniant, sed ut opprimant & perdant. Et utile est, ubi non sufficiunt fratres, qui sicut mittantur, quod literæ scribantur in omnem terram, & persuadeant, sicut dixi. Verum quomodo persuadeant, alio tempore scribam: iam non occurrit aliud, nisi ut iurent ad omnes sanctos, & in conscientiam suam, pectus deuotè percutiendo, se uerè Ecclesiæ sanctæ salutem intendere, & non eius nomen nequitijs suis prætendere.

V N D E C I M A R E G U L A,
multum artificialis ac magistralis.

Quicquid fiat, aut non fiat, hoc nimis præ omnibus curandum est, ne hæreticus permittatur aliquid respondere: neque examinetur in ullo puncto, nisi prius promittat, ecclesiam sanctam sequi. Et in hoc habeatur respectus ad consuetudinem Romanæ curiæ, quæ est mater & magistra ecclesiarum, etiam domina terrarum. iuxta illud Christi: Gentes dominantur eorum, uos autem non sic, &c. Quia ipsa semper ita solet facere. nam comburit, aut in Tyberim proiecit, aut alios occidit, quicunque non holunt

uolunt sequi sanctam ecclesiam Dei, & Apostoli-
cam sedem: non attento, quod uoluerunt stare iudi-
cio, aut rationem reddere. Non tamen in hoc est
homicida & cruentus tyrannus, nisi secundum opi-
nionem quorundam fatuorum, qui scripturas sanctas
per caput proprium intelligendo, per decisionem Ro-
manæ curiae negligunt exponere. Oportet enim
sanctam ecclesiam authoritatue procedere, & non
cuilibet rationem sui facti reddere: quia satis est,
quod ipsa habet rationes, eam mouentes, cum spiri-
tus sanctus non deserat eam.

Et iuste quidem, ac recte: quia si sic admitten-
tur, citius conuincerent Papam & sanctam Ec-
clesiam errare, quam ipsi conuincerentur, non pro-
pter ueritatem, quam non habent: sed propter mul-
tiloquium & astutiam suam, cui non potest ita re-
sistere spiritus sanctus hodie, sicut fecit tempore san-
cti Stephani. Nam alia est nunc ratio temporis, ut
sæpe dixi: ideo utilissimum est ut occidantur, ante-
quam audiantur. Non enim dignus est audiri, qui no-
uult audire. quia oportet esse discipulum, antequam
magistrum: & prius audire, quam audiri, sicut Ari-
stoteles docuit.

D V O D E C I M A R E G V L A.

Si autem per gratiam Dei audierit haereti-
cus, & ecclesiam sanctam sequi promiserit, tunc

mox imponatur ei reuocatio: nec est tunc necesse
 ad sua dicta respondere, aut rationes soluere, ne
 forte cogatur Inquisitor ad sanctam scripturam ue-
 nire, in qua timendum est uter succumberet: sed
 sufficit simpliciter dicere, Sancta ecclesia sic deter-
 minauit, & Sedes Apostolica sic uult, & sic ui-
 elius est hæreticus, & anima lucrata Deo, & be-
 nedicatur Deus: & laudetur sanctus ordo Præ-
 dicatorum, qui tam legales Inquisidores enutriuit.
 Tunc imponendum est hæretico, ut suos ipse libros
 comburat, & ignem foueat (sicut Isaac ligna pro-
 se ipso portauit) non in confusionem quidem hære-
 tici, sed ut Inquisitor iuxta cum gloria sedere pos-
 sit, & in conspectu circumstantium, hæreticum o-
 mnibus ostendere uictum. Sed illi iam uicto, si-
 mulet se aliquam compassionem habere: ideo quan-
 do aliquandiu illi insultauerit, & irriserit miserum,
 cesseret, si discretioni eius uisum fuerit. Si autem
 noluerit, & omnino pertinaciter perseuerauerit,
 tunc iuxta Apostolum, Auferte malum de medio
 uestri (in quo Apostolus, licet non comburere ius-
 si, tamen occidere præcipit, per dispensationem
 præcepti Dei) tradatur foro seculari, & combu-
 ratur, sicut est moris atque stili Romani: nec pro
 eo oretur, nec mors eius commendetur, sed sit no-
 men eius maledictum, & omnia quæ dixit & scri-
 psit & fecit. Tunc Inquisidores habebunt in-
 ten-

tentum finem suum, scilicet magnam gloriam apud Deum & homines, & gaudere poterunt in corde suo.

Ex prædictis sequitur, unum multum notabile corollarium, uidelicet quod anno 1509, die ultima Maij, illi nostri quatuor fratres Prædicatores, qui fuerunt, frater Ioannes Vetter Prior collegij, frater Franciscus Ultschi Subprior, frater Stephanus Boltzhorst, doctor & lector supremus, & frater Heinrichus Steinegger coeconomus, in Berna Helvetica, iniquè combusti fuerunt, tanquam hæretici: quia cum in sanctam Romanam ecclesiam crederent, hæretici esse non poterant. Sed maximus error fuit commissus in modo inquirendi, quoniam fuerunt examinati de puncto ad punctum. Sed hic modus procedendi, est erroneus. & nullus debet mirari, si tam subtiliter interrogati defecerunt, & combusti sunt. Si autem primò fuissent interrogati (sicut debuerunt) & solum hoc quæsiti, an crederent in sanctam Ecclesiam, bene fuissent liberati: quia etiam sanctissimus dominus Papa iam decreuerat (non accepta pecunia, ut multi loquuntur) eos liberare: quia à nostris fratribus intellexerat, illos affectionatissimos esse S. R. Ecclesiae: & quia in omnibus intoxicationibus, & dæmonum exorcismis ac homicidijs, quæ fecerūt, & in his quæ facere putauerant, semper habuerunt bonam voluntatem,

tatem, ac bonam intentionem : ita ut non scelera,
sed p̄cē fraudes essent, & opera bona. quod fortissi-
matione probatur, argumentando sic:

Omnis qui habet oculum, id est intentionem: sim-
plicem, id est bonam: totum corpus, id est opus: luci-
dum, id est bonum, erit.

Omnes isti fratres oculum simplicem habue-
runt, id est, intentionem bonam: Ergo omnes isti bo-
na opera fecerunt.

Maior non indiget probatione, quia sunt uerba
Christi. Minor uero probatur, quia eorum intentio
erat (sicut ipsi confessi sunt) concitare populos con-
tra fratres Franciscanos, hostes nostros, ut eos ex
regionibus illis expellerent: & sic eos expellendo,
expellerent etiam simul cum illis opinionem falsam
& hæreticam de conceptione, quam per totum mun-
dum seminauerunt: ut cum magno honore gloriose
semper Virginis Mariæ cantaretur, Sanctificatio
tua: & non, Conceptio tua. Sed episcopus Lausanen-
sis, & episcopus Sedunensis, qui in ista causa fuerunt
ordinati iudices, ut iumenta facti erant, quia nescie-
bant distinguere inter peccatum mortale & piam
fraudem. ideo Heluetij illi Schiūzzeri, qui artem in-
quirendi nunquam didicerunt, sed tantum sciunt bel-
lare, omnia peruerterunt, & formauerunt processum
contra illos illo modo, & subtilitate, qua contra
Iucos solent formare. & per Deum, magnam iniu-
riam

riam illis fecerunt: & ipsi, meo iudicio, hæresim
commiserunt. At illi Bohemi, Ioannes Hus & Hiero-
nimus de Praga, recte et artificialiter fuerunt ex-
aminati: quia non per sacram scripturam fuerunt
conuicti, sed per determinationem Romanæ ecclæ-
siæ damnati. Quia, ut supra dixi, Romana ecclesia
est regula fidei, magistra ecclesiarum, domina ter-
rarum. Ideo quicquid dixerit, articulus fidei est:
nō obstante, quod aliquando errauit. Nam regula fi-
dei potest bene errare uenialiter, sicut S. Petrus.
ad Gal. 2.

Sed & Ioannes Reuchlin, si permisissent Prin-
cipes inquiri de articulo fidei in ecclesiam sanctam,
non tantum libris sui, sed ipse quoque fuisset combu-
stus. In quo maximam gloriam Inquisitores fuissent
consecuti, quod talem virum, tam doctum combustis-
sent, & illo doctiores cogniti fuissent: quia semper
combustores sunt doctiores combustis, ut patet
in coquo & lignis, quæ ipse comburit. Quoniam
autem de articulo in articulum perscripturas & ra-
tiones fuit examinatus, non est mirum, quod cum
gloria fuit liberatus: quia ars inquirendi non fuit cum
eo seruata. Est enim impossibile, quod hodie aliquis
conuincatur hæreticus, si articuli eius examinen-
tur ad sanctam scripturam: sed si examinentur ad
sanctam ecclesiam, hic non est possibile, quod eu-
dat. Tales sunt hodie quidam noui hæretici, qui ex

Græca lingua (quæ semper fuit hæretica & schismatica) nouam & hæreticam Theologiam adducunt, contra sanctum Thomam, quos spero examinando esse secundum practicam huius artis. Et erit propter hæc gloria Inquisitoris, & totius ordinis maior, quod tot & tantos combusserunt.

Hic in fine est una Brocardica quæstio, quæ hinc inde à multis uentilatur. et est ista: Quomodo sancta Ecclesia iam plusquam mille trecentis annis optimè recta est, ut nullos occiderit aut combusserit, usque ad Conciliū Constantiense? Et nunc regi non potest, nisi comburendo hæreticos: cum tamen illo tempore innumerabiles fuerint in Ecclesia hæretici? cum maximè Deus per Esaiam dicat de Ecclesia: Non nocebunt, neque occident, in uniuerso monte meo sancto. Respondetur. Miror tam indoctos esse homines, qui ista querunt. Satis patet, quod nihil in sancto Thoma studuerunt. Dico ergo, quod solutio breuis est: & ista est, quod tunc non fuerunt Inquisitores hæreticæ prauitatis. Si enim tunc fuissent, tunc ecclesia bene purgata fuisset ab hæreticis per ignis ardorem. Sicut enim ueritas crescit pro tempore, et plus reuelatur: sic & purgatio ecclesiæ crescit. Nā tunc temporis, quando in sacra scriptura studebant, nō siebant tam subtilia ingenia: quia nō habebat curam de Aristotele, qui facit ualde subtilia ingenia. Quare ego credo, si S. Hieronymus &

Aug-

Augustinus hodie uiuerent, aut etiam ipse apostolus Paulus, uix euaderet ignem, tam excellētes sunt inquisitores in ingenij. Quod ego intelligo ex uno factō nouissimo. quia si potuerunt inuenire, quod Ioannes Reuchlin esset hæreticus, quia dixit, humanitatem Christi comparari posse habitu laicali et meretricio: quomodo effugere potuisset apostolus Paulus, qui non humanitatem Christi, sed Christum ipsum filium Dei dicit, non modo uelatum maledictō & peccato, sed maledictū & peccatū factum, ab ipso Deo met. Bene tibi Paule, quod uixisti illo tempore, quando non erant subtilia ista ingenia. Quare quisquis consideret temporis rationem & subtilitatem ingeniorum, citò soluet omnes quæstiones. Hac igitur artem à me cōparatam secundum paupertatem doctrinæ, & infœcunditatem styli, bono & læto animo suscipite, optimi patres, mihi multum metuendi: ut ista possitis per honorem sanctæ Romanae ecclesiæ et ueritatis Curialis, ad laudem & gloriā ordinis nostri, omnes hæreticos funditus extirpare, & feliciter triumphare. & hoc ad introducendam cōsuetudinem pro Sancta R. Curia, qua ei liceat, quos uoleat, impunè occidere & damnare, per dispensationem & reprobationem omnium legum Dei. Valete bene in ueritate, quam quæritis & diligitis. Datum Romæ, ex Apostolico Palatio.

Ne aliquot pagellæ uacarent, damus hic uobis falsam
 & lepidam Epistolam, ex qua Inquisitorum magnâ
 in sacra pagina scientiam non sine uoluptate
 percipietis: Legite, & plaudite.

AD R. P. F. SPIRITVM RVT E-
 rum, Aquitanicum fidei inquisitorem, e-
 pistola congratulatoria, simul & commo-
 nefactoria F. Paschalis Murneri, ex eodē
 ordine Prædicatorum indigni
 doctoris.

F. Paschalis Murneri, R. P. Spiritui Rutero, etc.
 Post debitam reuerendæ uestræ paternitati sa-
 lutationem, uolo uos reddere certiorem, quod bini
 uestri libelli nuper Tholosæ impressi, hic multo cum
 honore à bonis catholicis leguntur: quorum sicut in
 sermone mellifluus est liquor, ita in sententijs profun-
 dū & impenetrabile acutum. Vnde non minus uobis,
 quam uniuerso Ordini nostro cōgratulor, qui in dies
 magis per uos multifariam multiplicit̄ modo deco-
 ratur. Sunt tamen paucula quædam & pusilla, de
 quibus uos commonefaciendum duxi. non quod ego
 censoris supercilium in uos mihi arrogare præsumā:
 absit inquam, ab humilitate mea talis, tantaque teme-
 ritas, ut aduersus tantum scientiæ culmen insurgat;
 sed quia harrij rumores, qui uolitant per ora homi-
 num,

nū, per aures etiā meas transeunt, quibus respondere promptū nō est: reliquū hoc fuit, ut uobis quæ hic uulgo iactātur, fideliter referrē. Nec me latet, maleuolos ac maledicos esse homines, nec nō hæretica labe infestos, qui oggannire V. P. audēt, cui omnimodū debetri honorē orthodoxi omnes fatentur. Sed quia hodie mūdus multos habet nasutos, qui secularib. doctrinis inflati, omnes sibi dissimiles contemnūt; bonū est, nos ad præcauendū esse instructos. Primū, quia secundus liber inscriptus est à uobis Parergus, uix præ mœstia cordis, lingua effari queo, quib. cachinnis titulū istū uentilet. Quidā siquidem eorū dicūt, uobis ab aliquo fuisse suggestū, quòd ista duplex tabula secundū Græcos uocari posset Parallelōs: uos aut aure, proh nefas, asinina pro Parallelō Parergon accepisse. Car pūt etiā uos in Grāmatica huius uocabuli, quia masculū pro neutro posueritis, & ita ex opere feceritis hominē. Nā Parergus, si illis credere dignū est, dicitur homo uanus, uel inutilis: ideo dicūt, uobis melius quām libro cōuenire. Hactenus de titulo. ad intrinsecā substantiā ueniamus. Parcatis aut, si eorum uerba interdū refero. Nō modō uos incircunspectū et improuidum, sed etiā, quod horreo dicere, numis effrontē fuisse dicūt, quòd Regi Christianiss. scribēs, fabulā narratis de Loripede, in qua uos omnes Parisienses metiri sciunt: quia nunquam talis fuit Loripes, quem dicitis fuisse combustum. Quidam etiam ex illis numer

per dicebat, uos immerito Spiritum uocari, qui uincia
 spiritus non habeatis in toto capite. Vos autem parum esse
 spiritualē arguebat: quia dum legitis apud Paulū, Li-
 tera occidit, nescitis discernere inter actiuū et neutrū
 genus. Et adhuc magis insultabat, quia pro uerbo neu-
 tri generis, uos dicitis impersonale. Dicebat tamē in
 fine: Ut sciatis hūc doctorem subtilem esse, tēpestiuē
 sibi cauet, cum Scripturas prohibet in Gallicā lingua
 uerti. Nā si id fieret, ridicula pueris omnib. esset eius
 inscitia: quorū nullus ignorat, quid Gallicē sit Tuer,
 uel Occir. Nūc uestrae prudētiæ relinquo, an in Græ-
 co Pauli textu, tale sit uerbū aliquod. Et certe in cor-
 relatiuis mutua debet esse proportio. Verū enim ue-
 ro ex diametro illic opponitur uerbū Viuificat: unde
 probabiliter elici potest, uerbū Occidere esse actiuū.
Quinimò quidā facetiosi homines, totā illam dispu-
 tationē, quam subtiliter nō minus quam fecundè texi-
 tis de litera occidēte, nō unius pili se æstimare dicūt.
 Primum, quia satis patet ex circūstantiali loci, Paulum
 ibi legē cōparare Euangelio, & legē nominare literā,
 perinde ac si diceretur uerbalis doctrina, quæ nō in-
 sculpta est in cordibus: & proinde spiritualis dicēda
 nō uenit. Vnde cōsequēter inferūt, nihil hoc ad allego-
 ricos sensus spectare. Et simul per transennā uos mor-
 dicant, quod ideo sitis tam infestus aduersus sensum
 grammaticalē: quia grāmatica uobis est inimica. Re-
 periūt enim hinc inde multas incongruitates, quibus
 coacer-

coaceruatis, citat antiquum illud proverbiu Aristote-
 lis: Scientia nullum habet inimicum, præter ignorantem. Si
 replicet R. V. P. utrum ego mutus esse debeam, contra
 eiusmodi blaterones: certe, si uideretis quam feruidus
 sum Zelotes honoris uestrui, uobis satis superque satisfa-
 cerem. Sed nescio, quomodo postquam omnia tentauimus,
 se penumero ad metam non loquendi copellor. Nam ut
 sciatis, quantu ad tota illa parte ubi afferitis Scripturam
 spiritualiter intelligendam esse, et non in litera uel car-
 nali sensu, ipsi uos cum umbra pugnare dicunt, quia faten-
 tur etiam idem. Sed queritur, in quo modo uel in qua fi-
 gura sit iste syllogismus: Scripturam esse tam fertile, ut
 multiplices ex uno uerbo sensus pariat, sicut partus
 multiformes. Nec exempla quae citatis multi eos mo-
 uunt: quia de Ierosolyma nescio ubi inueniunt aliam subti-
 litatem, Prophetas de illa Iudeae urbe loqui, quatenus
 tunc erat Dei sedes, et propria Ecclesiae statio: sed per-
 inde etiam de Ecclesia Dei quaqua uersum patet. quia
 cum Deus nouam Ierosolymam edificat in regno Chri-
 sti, funiculum eius ab oriente in occidente extendere
 angelo præcipit. In summa, nunquam cōcedent, etiam
 si anagogæ et allegoriae ex Scriptura eliciantur, ipsam
 tamen esse nasum cereum. In tantu uero audacie pro-
 filiunt, ut dicant, uos esse portentosum animal, in quo sub
 nigra pelle lateat albæ aures: cum dicitis, esse nimium li-
 terales, qui figurate et spiritualiter intelligunt Christi
 herba, Caro mea heræ est cibus. Retorquet enim
 illud

illud cōtra uos, quōd importunē urgeatis literā, nomē carnis carnaliter sumendo. Similiter ualde sibi applau dūt in citata Augustini authoritate, ubi dicit, eam esse miserā seruitutē, uoces pro rebus accipere, etc. Quia in totū & omnimodē illis suffragatur, quos Sacramē tarios uocatis: unde etiā per opprobriū uos Caperna itas appellant. Fuit etiā nuper quidā garrulus, qui pro Spiritu Rutero, uos nominabat Spiritū rotundū: propterea quōd dicitis ex literali sensu haurire suū erro rē, qui libertatē spiritus transmutat in licentia carnis. Ac primū quidem illa quadrimēbris uestra diuisio, quam ponitis in seruitute opposita, dupliciter ab ipso carpebatur, utpote tanquā superflua & insufficiens. Nā cum dicitis, primā seruitutē esse originale, quia na scūtur ex Adā uitiosi, peruersae naturae, ad omne malū propensi, & ad nullū bonū idonei: secundū uero es se fomitis uel legis membrorū, quae nos ad prohibitas & inordinatas cupiditates impellit, dicebat, uos hic unū membrū, ut solēt carnifices, lacerare: quia fomes ille nihil sit aliud quam originalis corruptio, quae sub primo mēbro cōtinetur. Insufficiētiæ aut̄ hoc colore arguebat, quia de ceremonijs nullā facitis mentionē: de quib. luce meridiana clarius est, Paulū in epistola ad Galatas expresse tractare. Itaq; dicebat uos nō mi nus infeliciter in dialectica, quam in grāmatica uer satū esse. Itaq; dicūt, uos tanquā canē in suo sterquilino audacter latrare: cum dicitis secundū uestrā sua hiloquen-

niloquentē elegantiam, cōpositari libros ab hæreticis
 absq; labore. Et certē si uerū est quod iactant, res est
 satis mirabilis, uos tantū ex ante lassē labore suppilando
 & furādo hinc & inde quæ lectitātur in eorū librīs.
 Ad hæc fabulātur, uos per malā cohærentiā mutilare
 & corrūpere, quæ ibidē cōcinnē et suo ordine sunt di-
 gesta. Quomodo auderet, inquiūt, hic canis (honor sit
 uestris reuerēdis auribus) tam proteruē insultare, nisi
 quia putat, tyrannicis suis prohibitionib. territare le-
 ctores, ne libros attingant, ex quibus subripit, quantu
 lūcunq; boni habet? Cōsimile in modū, nimis crassā
 & omnibus manifestā calumniā uos impingere dicūt
 Lutheranis, quod eorū libri de pœnitētiā taceāt pror-
 sus, uel frigida mētione per transennā de ea loquātur.
 Nā fortiter clamitāt, melius et syncerius uim et pro-
 prietatē pœnitentiæ, totāq; in effectu naturā explicā-
 ri in eorū librīs, quam in tota librorum farragine, ex
 qua sola Magistri nostri sapiūt. Et simul addūt, tam
 in librīs quam cōcionib. Lutheranorū, diligētius, fer-
 uētius, et maiore spiritus efficacia urgeri, quam in toto
 Papatu. Quid dico? (proh dolor) ex beati patris no-
 ētri Thomæ & similiū doctorū scriptis, etiā si q̄ se in
 illis reuoluēdis per totā uitā maceret, nō elici posse qd
 sit pœnitētiā: & utrāq; definitionē pœnitētiā rea-
 lē quam nominalē omnibus scholis minus fuisse notā,
 quam pecorū stabulis. Cūq; ego uiriliter, ut decet & e-
 losum Theologie alumnu, talib, eorū dicterijs resistē
 rem,

re, prouocabant ipsi ad libros. Quod certamē subire
 recusaui sub fauorabili prætextu, ne uiderer de re iu-
 dicata, quasi dubia litigare. Erat tamē, si uerū fateri
 fas est, aliud impedimentū: quia scilicet ex parte time-
 bā, ne prolatis in mediū libris, ex lectura cōuincerer.
 Nihilo secius diuisionē uestram mordicāt: in qua nu-
 meratis genera hominū, quos litera occidit. Nō diffi-
 tentur quidē, hæreticos & laicos ex Scriptura malē
 intellecta mortē haurire: si modò sub laicoru nomine
 cōprehendantur omnes, qui carni & mundo addicti,
 nullo tangūtur pietatis studio. Sed quærūt, ubi nā ma-
 gis regnet mūdus, & quæcunq; à spirituali Dei intu-
 itu homines abducūt, quām in curia Romana: quam
 tamen pro fidei nostræ magistra & unica Scripturæ
 explanatrice habemus. Hæresum aut̄ omnīū recepta-
 cula & cauernas dicūt suis̄ monachoru claustra: in
 quibus nos aliti & enutriti suimus. Sed hic rursum
 uestrā dialecticā carpunt, quia coincidūt inter se ue-
 stræ diuisionis mēbra: propterea quod inter Iudæos,
 quibus primā classem seorsim tribuitis, memorabiles
 fuerūt hæretici: imo licet in uarias disperititi fuerint
 sectas, omnia tamē totalis nationis deliria, totidē ma-
 nifestariæ sunt hæreses. Eodē modo si inuestigentur
 unde ab exordio mundi hæretici fluxerint, dicūt in
 tertia classe inueniendos fore. Nā si uerū est quod di-
 cit Augustinus, superbiā omniū hæresum esse matrē,
 cōcludunt superbos & præsumptuosos in primo hæ-
 reticorum

reticorū gradu sūisse collocādos: et ideo tā illos quām similes insulse abhæreticis per uestrā reuerētiā separari. Sed omnib. cōcessis, dicūt uos, quantū ad præassūptū thema, gypseis ouis incubare. Ista una est, & prima pars principalis libri uestri, quod litera occidit: in qua latē patēte et pulchriter uariegatā pauonis caudā extēditis, ut dicūt. Secūda est, quod Iudæi, hæretici, et homines mūdanis desiderijs occupati, mortē ex peruerso Scripturæ intellec̄tu hauriūt, cuius tractatio, tā quā expāsiō alarū, ad finē usq; libri pertingit. Tandē in extrema cauda, tanquā gallicinio excitatus breuiter cōcluditis, nō esse legendas Gallicè Scripturas. Hoc aut̄ argumentū tantundē ualere dicūt, ac si quis diceret: Niuosae sunt alpes: ergo uinū quod in collib. Tholossanis nascitur, frigidū est. Sedenim obloquuntur, uos illo sepe incalescere, imò quasi reddi furiosum. Pergunt etiā obloquitando circiter in hunc modū: Si inter eos quibus Scriptura est litera occidens, primus ordo tribuitur Iudæis, cur nō primius illis interdicitur Scripturæ lectio? Deinde cuius linguae fuerūt omnes hæretici? An' non Græcæ uel Latinæ? Cur ergo extirpandis hæresibus non eradicatur utraq; lingua? Hic procedendi modus secundū eos magis coloris, magisq; fundamēti haberet. Quod aut̄ replicatis, tres illas esse triūphales linguas crucis trophæo affixas: pri mūm, in caput uestrū retorquent: quia quicquid mali coaceruatis, in illas cōpetit, cūm tamē solenniter fuen-

rint à Deo consecratae. Deinde magicā uestram de-
 tribus linguis diuinationē irrident: cum omnibus aper-
 tū sit, illo Pilati præconio Euāgelij per omnes linguas
 publicationē fuisse adumbratā. Nam & Paulus, cū
 dicit, nos spiritu adoptiōis donatos clamare, Aba pa-
 ter, Latinos ab hoc priuilegio nō excludit, sed signi-
 ficat indifferēter omnibus linguis Deū inuocari a fi-
 delibus. Ulta etiā procedūt. nā Aba dicūt nō esse He-
 braicā uocē, sed Syriacā. Sicuti etiā uos turpis insci-
 tiæ (quod dīj omen auertant) nō erubescūt arguere,
 quōd nesciatis Danielis prophetiā, cū alijs quibusdā li-
 bris, Chaldaico idiomate scriptā esse. Quod si uerum
 est, utinā uetus illud prouerbiiū practicauisset uestra
 reuerētia, Ne futor ultra crepidā. Acriter igitur huic
 principio incumbūt: Deū, qui Euangeliū suū creaturis
 omnibus uoluit publicari, qui per os Apostolorū non
 tribus modò linguis, sed omnib. promiscuè loquutus
 est, uelle etiā legi omnib. linguis, quæ Apostoli scri-
 ptis prodiderūt. Evidē in intimo cordis penetrali ga-
 uisus sum, cū uestrā illam solutionē legerē de uerbo et
 scripture. Itaq; protinus cōfidēter exultaui, et illis ob-
 ieci, uerbū quidē Dei ab omnibus audiri debere, sed
 nō legendā esse Scripturā. Verūm unus ex illis statim
 ualde me repulit. Principiō enim dixit, quæ illic nar-
 ratis de distinctiōe Scripturæ & uerbi, uos ex eorū
 libris furatū esse, quibus estis tā atrox & truculētus.
 Si putatis me uno uerbo fuisse uictū, erratis, nesciētes
 meam

meā animositatē. Sed cū ipsos passus expressos mihi
digito mōstraret, tunc obmutescēs tacui. Postea qua-
si semiuictor, subiecit, uos tamē more uestro, partim
falsificare, partim tortuosē inuoluere, quæ doctē &
rectē ab illis scripta sunt. Tandē ita cōclusit, nō aliud
Dei uerbū nobis cōmendari, quām quod Prophetarū
& Apostolorū libris continetur. Nā cum Christus
Iudaeis dicebat, Scrutamini Scripturas: legem et Pro-
phetas. denotabat. Et cū Paulus dicit, Quæcunq; scri-
pta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt: nō de uocali-
tantū uerbo, sed de literarū monumentis loquitur. Et
quibus cōpetere Scripturā affirmat? nempe omnibus.
quemadmodū & alio passu: Omnis Scriptura diuini-
tus inspirata, utilis est. Cū ego ex uestra subtilitate
replicarem, uerum esse quōd utilis sit ad prædicādū,
non autem ad legendū: deprompsit alium locum ex
Actis, ubi laudantur Thessalonicenses, quōd ex Scri-
pturis quærebant, an ita eſſet ut Paulus prædicau-
erat. Quid uultis amplius? compulit me fateri, Scri-
pturas eſſe datas et reliquias tam paruis quām magnis.
Addita tamen restrictiōe, quōd licet Deus ita statu-
erit, utile tamen nō sit. Ille uero exclamat: En sunt
blasphemiae, quas impium & foetidū os Ruteritū ru-
et, cū dicit Davidicos psalmos, dū in Gallicā lingua
transferuntur, nō tantum frigidos eſſe, sed nullū affer-
re gustū, ut refrigerent, & fermē mortificant. Horre-
sco referens, et simul me terret inquisitoriae uestræ se-

ueritatis acrimoniam: sed tamen, quod celatum noceret,
 tanquam utiliter sibi dictum reuerentia uestra accipiet.
 Dicebat ergo ille: *Quis bestiā hāc putet ullū unquā uel minimū habuisse Dei gustū, cui et insipida et
 mortifera sunt sacra & æterna ueri Dei oracula, si-
 mulac lingue sonū mutauerūt? At qui uiua & efficax
 illuc maiestas se profert, quæ inuitos quoque afficiat,
 modò ne sint prorsus stupidi.* Similē esse blasphemiam
 dicebat, quā execrari p̄ij omnes debeat, quod Cereris
 mysteria cōparatis sacræ Scripturæ. Nā si bene re-
 cordamini, inde probare conamini, nō debere passim
 legi sacrā Scripturā, quia apud Athenienses uetus fu-
 erit Cereris mysteria uulgarī. Ipsi autē cōuerso argu-
 unt: cū sua mēdacia uoluerit in occulto & tenebris la-
 tere diabolus, ne palam fieret eorū fēditas, Dei uer-
 itati, quæ lux nominatur, lucem cōuenire. Et cū Da-
 uid ita pronūciat, Scribentur hāc in generationem
 alterā: nō ferre legem de suppressimēda uel oppri-
 mendā scripturā, sed uaticinū edere de ipsa per omnes æ-
 ratū gradus propalāda. *Quid uos ad hāc uenerande
 Magister? Ego enim nimiū, ac plus nimio sum perple-
 xus, nisi me expediatis. Sed iterū ad ampulloſas iſtorū
 iactatias aures arrigite. Cōcludunt, etiāſi crepare de
 beatis cū tota inferorū colluuiet, Scripturā quæ fixa
 & immutabili Dei ordinatioē uiris et mulieribus de-
 stinata est, ab omnibus citra exceptionem debere le-
 gi. Standū enim esse inviolabili Dei decreto, & illū
 melius*

melius uidere quid nobis expedit, quam omniū mortaliū sensu apprehendi queat. Et simul nos cētuplo impietatem Pilati uincere clamāt: quia Euangeliū quod ille sparsum per ignotas linguas curauit, cupiamus sepultū esse. Nā quōd dicitis, aliud ēsse trāsferre, & aliud interpretari, multū & largē rident: quōd Pauli uerba ad hāc sententiam applicatis, qui per uerbū Interpretādi translationē secundū eos significat. Ibam quidē inficias: sed ilī tam promptū fuit, tam ex textu quam ex antiquis doctoribus me cōuincere, quam uobis facile esset uno haustu dimidiā uini mēsurā sorbere. Similiter quōd refertis de Gebenna, nescio an bene inquisieritis utrū ita sit: sed ipsi fabulā ēsse respōdet, quod Miſſale trāstulerint Gebennēses in lingua maternā, ut Miſſa cōtemni inciperet. Quāuis hoc ipsi rapiūt in suū cōmodum. Dicūt enim: Quid mirū, si restam propudiosa, ut est sacrilegus Miſſæ canon, cum suis corollarijs, simulatq; innotuit, nō modò cōtemptui uel ludibrio, sed extremæ sit detestatioi à minimo usq; ad maximū? Tenet enim ad unguē uestra paternitas, quam multa nasuti isti in Canone obseruet, quæ uidetur Scripturæ sanctæ contrariari. Scitis etiā Miſſam nostrā cū Coena Christi cōparando, tantā cōtrarietatē inuenire, ut Miſſa, si proloqui fas est, apud quamplurimos fœteat. Et hoc totū liquidō patere experientia allegat. Nā pro mensura cognitionis, reuerētiā Dei uerbiq; eius dicūt crescere, iuxta illud:

Sicut nomē tuū Domine, ita & laus per omnes fines terræ. Omnes aut̄ diaboli imposturas, quarum stulta deuotione fascinatus est mūdus, propter ignorantia, tunc optimē corrigi, quando patefiūt. Itaq; uos cuidā Cardinali similē faciunt, qui cum uideret turbatū à Lutherō Papæ regnū, sic loquutus est: Hoc malū cordiæ nostræ imputandū est. debuimus enim Scripturas sacras sub uenerationis colore in thecis clausas seruare, ut ad instar reliquiarū adorarētur, & nemo eas legeret. Ita secundū eos uelletis loco Scripturæ recipi uestra cōmēta: ut quicquid balbutire uobis libitū esset, pro sermone Dei reputaretur. sed longè aliud per os Ioannis à spiritu tradi: Hæc scripta sunt ut credatis, & credentes consequamini uitā æternā. Vnde cōcludunt, salutarem esse lectionē Scripturæ. Et cum Paulus præcipit, ut sermo Dei habitet opulē tē in omnibus Christianis: nō uestros ructus illic denotari aiunt, sed doctrinam in Scripturis contentam. Sic uos hostem faciunt spiritus sancti, extinctorem omnis ueritatis, iniuidum saluti hominū, & sceleratū furem, qui Ecclesiæ thesaurum Scripturarum à Deo datum surripitis. Et cum dicat beatus Ioannes, senibus pariter & iuuenibus se scribere, ut ad Deum perueniant, uos hāc ianuam claudendo, statuum & ætatū omnium supremam mereri detestationem. Alio præterea non minus atro infamiae carbone reuerentiā uestram denigrat. Dicunt enim, uos nimis familiariter

in cantationibus & præstigijs diaboli esse imbutum:
 & uix posse fieri, quin sitis ex sortilegorū synagoga,
 qui tam enucleatē omnia artis mysteria referre pote-
 stis: & in eo uos esse fidelem diaboli ministrum, qui
 nefanda illa deliria publicādo, ad dementandos homi-
 nes laqueos tenditis. De uestris parergalibus similitu-
 dinibus, nolo prolixius hic uos fatigare, quia cerebrū
 uestrum euacuarem, tam multæ sunt eorum derisio-
 nes. Vnum tantū exempli uice memorare placet. Pu-
 tabam nihil subtilius uel elegantius posse somniari,
 quam cum dicitis, panem & uinum in corpus & san-
 guinem Domini conuerti, sicut Dominus ipse aquam
 in uinum conuertit. Atqui replicant, hoc uestrū som-
 nium in scholarum omnium resolutionem pugnare: i-
 deoq; uos in hoc articulo esse hæreticum, etiam secun-
 dum Magistros nostros, & pro hæretico debere com-
 buri. Hæc audiendo, primum sui attonitus: deinde re-
 cordatus sum, hoc in omnibus nostris scholis tenerie:
 transsubstantiationē dici in Missæ mysterio, nō quod
 ex panis substātia fiat substātia corporis, sicut aqua
 in uinum conuersa est. Non enim ignorat uestra re-
 uerentia, quantæ absurditates inde sequerentur: quod
 scilicet granum tritici in sterquilino putrescens, fu-
 turum esset gloriosum Christi corpus. Quare ad ca-
 uendas in posterum talium hominum subsannatio-
 nes, prouidebit uestra reuerētia, ne se proprio
 gladio iugulet.

Obſe-

Obsequiū seruituris meæ, quod ego, si nō debite,
 saltem denuote, tanquam frater communis uestræ exi-
 mietati, & tanquam inferior uestræ maioritati defe-
 ro, uestra obsecro reverentia, tam hilari benignitate
 accipiat, quam soletis iocundas conuentus nostri so-
 lenitates celebrare. Valeat magistrale decus uestrū,
 pariter cum inquisitoria eminentia. In uigilia
 sancti Martini, post sobriam collationē.

F I N I S.